



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Castitas indiget custodiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

accendit. Atque ut astus tantò succederet expeditiùs, *Palladem* ac *Dianam* virgines (ne ulla sequior *Proserpinæ* suspicio relinqueretur) adiungit sibi comites, & ad filiam *Cereris*, arci firmissimæ inclusam, se confert. Inveniunt intentam operi, & *Phrygia* pingentem acu. Fiunt ultro, citròque sermones; denique blandis affatibus eò pertrahitur puella, ut cum *Deabus* (quid enim ab his metueret?) prodambularet in prata, vario flore ridentia. Quid multis? dum hilaris & secura sui, comitum ad exemplum omnis generis flosculos legit; res horrenda!

Talia virgineo passim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, conflagere turres,
Pronaque vibratis radicibus, oppida verti.
Causa latet,

Nempe *Palladem* & *Dianam*, magis etiam *Proserpinam*; at non perinde *Venerem* insidiarum autorem.

---- dubios agnovit sola tumultus
Diva *Paphi*, mistòque metu perterrita gaudet.

O malè fida securitas! Inter violaria & roseta subito se pandit hiatu tellus, apparet terribili forma tyrannus orci, flammanti sublimis effedo:

Diffugiunt *Nymphæ*, rapitur *Proserpina* curru,
Imploratque *Deas*.

Sed frustra. Nihil ægide *Pallas*, nihil arcu potuit *Diana*;
Raptor agit currus, & nomine quemque vocando
Exhortatur equos, quorum per colla, jubásque
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas,
Pérque lacus altos, & olentia *Sulphura* fertur.

Prò miseram *Proserpinam*, frustra plorantem & quiritantem:
Exul ad immanes *Erebi* detrudor hiatus,
Et mihi virginitas pariter, cœlúmque negatur:
Eripitur cum sole pudor, terris que relictis
Infelix *Stygio* ducor captiva tyranno:
O malè dilecti flores, despectaque matris
Consilia! O *Veneris* deprensæ seriùs antes!

Ethica.

L. (a) *Ceres* fecit, quod sollicitas, piásque matres facere par est,
S. filiat.

(a) *Castitas* indiget custodia.

filiam inclusit arci perquam munita; thesaurus enim est virginitas, & providentissimâ curâ custodiendus. Sed ô nimum sapere, etiam in clausa seris penetralia, inveniunt aditum doli. Vetus dictum est, *nullam sat firmam pudicitia custodiam esse, nisi seipsam tueretur.* De Danaë, Acrisiorum regis filia, supra retulimus, quibus modis ad eam sit illapsus impurus Jupiter. Si non auro, aureis certè verbis ac blandimentis pudicitia expugnatur. Proserpina quàm laudanda fuit, castitatis præsidium à manuum opere, petendo: tam vituperanda est, quòd immemor institutionis maternæ, præbuerit aurem Cypridi, vetita suadenti. Castitas, ut quidam scribit, similis esse debet animalibus illis Apocalyptiis, antè retròque oculatis; Sui sint oculi manibus, ut videant, quid attingant: sui sint oculi pedibus, ut attendant, quòd ingrediantur: sint auribus, ut advertant, quid instilletur: sint oculi linguæ, ut perpendant, quid loquantur: sint tergo, ut provideant periculis: sint toti denique corpori, & in ipsis oculis oculi, ut caveant illicita. Tertullianus cap. 10. de pudic. comparat castum cū funambulo, qui tenuissimum funem, pendente vestigio, ingreditur: *Carnem spiritu librans, animum fide moderans, oculum metu temperans, nequa illata carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio, de tenore decusserit.*

II. (b) Alterum à seducta Proserpina documentum: *Illecebrosa in campos invitatio.* Nunquam sui secura, præsertim feminarum, prodit castitas; tum verò minimè, cùm ad hortos & flores vocatur; carpitur cum rosis virginitas. Voluptatis dolosè blandientis verba Poëta recentior exhibet, quam ita prosâ loquentem inducit: Quisquis es, quem formosa delectant, subi nostrum nemus, in quo Gratia ludunt, & Gaudia choreas agunt: manat vivi fluminis argentum, totamque Cyprin perluit. Aquæ in amoris orbem confluunt, attritaque pretiosis conchis, musico concentu solvuntur in bullas. Propter ripas felix hortus panditur, refertus aureis malis, sonoras loquacibus nidis volucres delectæ, à Maio & Chloride docentur, enarrant dulcissimè, quidquid didicerint; audias ibi continuò vel propempticon alauda, vel epithalamium philomelæ, vel Iessum cygni: pluit floribus primæ ætatis; candida Synthesis liliorum perpetuò durat: etesijs clementibus mulcentur arbores; Zephyrus unicus colonus exercet areolas, & foecundo susurro crispat platanorum nutantia folia; omnia in Venerem vivunt. Succede horto, & fruire delicijs. Ita capitur incautus pudor, & miserè perditur. Jac. Balde in Notis ad lib. 1. Batrachiom. Hoc ipsum Voluptatis lenocinium disertè more suo exponit Ambrosius lib. 1. de Cain.

(b) Voluptatis lenocinium.

c. 4.